



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15



1656

1. von der Ley, Conradus : De magistratu politico
2. Philippi, Johannes : De jure Tutelarum
3. Romanus, Franciscus : De consuetudine
4. Schacher, Anirinus : De citatione
5. Thomarius, Jacobus : De societate nuptiali
6. Volckmarus, Henricus : De dote
7. Volckmarus, Henricus : De emphiteuse-venditione
8. Volckmarus, Henricus : De judiciis mortuorum
9. Wagnerus, Paulus : De usufructu
10. Zapffius, Gottfriedus : De potestate patria
11. Zapffius, Gottfriedus : De lege portiva

1657-

1. Gessell, Amadens : De accrescendi jure
2. Thomarius, Jacobus : De jure primogeniti

1658

1. Born, Johannes : De bona fide

1658

2. Handlensker, Christianus Historicus: De legato
3. Romanus, Praxiteus: De emancipatione liberorum
4. Schwenden dörffer, Bartholomaeus Terkhardt: De interdicio
in genere
5. Schwenden dörffer, Bartholomaeus Terkhardt: De
auctoritate tutoris.
6. Wagnerus, Paulus: De crimine laesae majestatis

1689.

1. Bornius, Johannes: De monetis et re numaria
2. Scholl, Amicus: De re vindicatione
3. Finckelhaus, Siegmund: De testamento judiciali
4. Philippi, Johannes: Conclusiones juris^{prae}cae ca
sualitatis materia deumptae
5. Schwendendörffer, Bartholomaeus Terkhardt:
De comendato

7 un.
utis

EXERCITII
MAGISTRALIS

CONRADUS

PUBLIS



1. ...
 2. ...
 3. ...
 4. ...
 5. ...
 6. ...
 7. ...
 8. ...
 9. ...
 10. ...



9174

108
A

1656,1

Σὺν τῷ Θεῷ αὐτῆρυῶ

EXERCITATIONEM PHILOSOPHICAM

DE

MAGISTRATU

POLITICO

Benevolo Incltyti Senatus

Philosophici indultu

PRÆSIDE

M. CONRADO von der Lage/ (3)

Jev. Frif. SS. Theol. Studios.

Publicâ Eruditorum discuf-

sione ventilandam in Illustri Academia

L I P S I E N S I

P. P.

CHRISTOPHORUS Specht/Sprott. Sil.

L. L. Studios.

Ad Calendas Novembris

A N N O M DC LVI.

H. L. 2. C.

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS WITTIGAUENS.



INTERNATIONAL PHILISTINE
MAGAZIN

ROTTIG

Berkeley, Kalifornien
Philosophie

M. CONRADO KONRAD

Public Administration
Lone Mountain, California
U.S.A.

CHRISTOPHER G. GIBSON

JOHN W. TIGHE



Σὺν τῷ Θεῷ.

APHOR. I.

Mundus Magistratu carere non potest, qui quid sit
Etymologia Nominis cum evolutione Homonymi-
miæ & Synonymorum contentis primò ostendit.

THES. I.



Olem cœlo & salem terræ quodammodò e-
ripere voluisse videntur illi, qui ordines Im-
perantium & parentium turbare annisi
sunt: Non enim minor ipsius usus inter ho-
mines est, quàm panis, aquæ, solis & aeris.
Quòd enim placidam & quietam vivimus
vitam, quòd spiramus, quòd edimus & bibi-
mus, quòd tuti habitamus debemus Magi-

stratui. *Eberh. à Weibe in tr. utr. regn. cond. mel. Reinking. de reg. S. l. 1. cl. 1. c. 2. n. 16.* Quid? quod Magistratus est Spiritus ille vitalis, què hæc tot millia trahunt. *Senec. de Clem. l. 1. c. 4.* Hinc sublato Magi-
stratu plenis velis invehitur *αἰσῆσι* rerum omnium, ex qua nascitur
impunitas, quæ Insolentiæ Mater, radix Impudentiæ & transgressio-
num nutritrix meritò salutatur à S. Bernhardo, *cit. Wank. in not. ad Gve-
vara Horol. princ. p. m. 490.*

TH. 2. Vino igitur vendibili hederam suspenderet, quisquis in
urgenda tum utilitate tum necessitate Magistratûs desudaret, ut pro-
inde reprehensionis notam nos effugere posse non abs re putaverim,
si plenam hanc dignitatis materiã publicæ disputationi exponeremus.

TH. 3. Cùm autem (si hac in parte Galeno credendum est) prin-
cipium in omni disputatione & re sit Nomen *l. 1. de Meth. c. 1.* paucis
illud explicabimus idem jubente Aristotele, quando incipiendum
vult à significatione nominum, cum inter homines de rebus esse ne-
queat disputatio nisi prius de Nominum significatione convenerint
410 Metaph. t. 10.

TH. 4. Magnam lucem significationi huic fœneratur ipsius vo-
cabuli Magistratûs origo, quam juxta Festi sententiam debet anti-
quo verbo magistrare, quod significat imperare, regere, descensu fa-

A 2

Ac 3

cto à vocabulo Magister, quod non ut barbarè quidam volunt derivatur ab Adverbio magis & ter, quasi Magister sit *μαγιστρός* (inepta enim videtur hæc deductio:) Sed à Persarum Magis qui in Magia variisq; artibus excelluerunt & ad gubernacula reipublicæ evecti sunt, ludibrioq; propterea habuerunt Romanos, quod apud hos viri indocti Judicium munus sustinerent, literati verò illis post terga asisterent. *Ammianus l. 23. Arrius in Polit. p. 2. c. 16. p. m. 380.*

TH. 5. Quænam igitur germana vocis significatio esse debeat ex hac originis investigatione patet; nimirum ut denotet publicam illam potestatem imperandi, ad quam evehebantur tum temporis apud illos viri variarum rerum artiumq; peritissimi. Verùm cum verba rebus non res verbis deservire debeant, *not. Andr. Geil. 1. obs. 150. n. 6. Reinhard. de Reg. sec. l. 1. c. 1. n. 1.* duplici potissimum vox circumfertur significatione, ita ut non tantum in abstracto hanc potestatem inferat; sed in concreto etiam dicat illos, quos vel natura vel virtus ad regimen aliquod politicum superius extulit, quo sensu posteriori ut alias plurimum; ita & à nobis maximè hinc attendetur.

TH. 6. Declarant ulteriùs vocabuli hujus acceptionem varia ipsius nomina quibus tanquam insignibus reverentiæ incitamentis tum in sacris, tum apud profanos Autores depingitur. Hinc Deorum nomine *Psal. 82. v. 6.* Magistratum ipse facer codex dignatur, ex quo meritò de illo dicit *Henr. Farnesius* quod nascantur in terris & cælum rapiant *l. 2. p. 14. de simul. Magistr.* Vocantur *ἐξουσία, ἑξουσία, Rom. 13. εὐεργέται Luc. 22.* Dicuntur *χειρὸς κρείται*, non tantum passim in sacris; sed etiam Græci Imperatores hoc titulo suam dignitatem commendarunt. *Vid. Reinhard. König Polit. l. 2. c. 8.* Nominantur item ab officio, justitiæ Alumni, Tutores æquitatis, Magistri populi concordie & discordie censores apud *Henr. Farn. l. c. 2. p. 22.*

APHOR. II.

Definitionem Magistratûs constituimus hanc: Magistratus est persona publica à Deo imperandi potestate armata, ad Religionem & Politiam conservandam.

THES. I.

Magistratûs hujus quænam definitio sit constituenda non convenit inter politicos, propterea quod maxima Analogia & latitudo

ipſius ſit, adeò ut ob hoc Ariſtoteles difficile eſſe Magiſtratũ definire di-
xerit *l. 4. Polit. c. 15.* & per partes deinde eum definiat, quod ſit is, qui
jus habet conſilii capiendi, jurisdictionis & Imperii: Quæ definitio
propterea etiam infectationem Bodini effugere non potuit, qui ex illa
Ariſtotelem cum cœteris philoſophis qui de republica ſcripſerunt,
cum Laertio *πάντας ἀπειρηγνάλας τῶν πολιτείων πραγμάτων* judicat
l. 3. de republ. c. 2. p. m. 264. & alibi, cum tamen definitio hæc rectè
intellecta & explicata ſuo modo ſtare poſſit, ſi ſc. qui ſenſus Ariſtote-
lis eſt, non collectivè; ſed distributivè, ut nonnullæ aliæ ipſius defini-
tiones, accipiatur, *Vid. Arnif. in Pol. c. 16. p. m. 357.* Quia verò ipſe
Ariſtoteles *l. c.* maximè Magiſtratũs proprium eſſe imperare, agno-
vit, *cum jus dicere ſine executione ſit inane,* Conſilium capere etiam
privatis competat, *Gipbanus in hoc c. 15. l. 4. p. 504.* nos eum definitio-
ne ſuprà poſitã unicã deſcripſimus.

TH. 2. Definitio autem hæc conſtat ſuo genere & differentia
ſpecificã, quæ duo quatuor cauſatum genera in ſe complectuntur;
Efficientem, quæ Deus eſt; materialem, quæ eſt perſona publica, for-
malem, armatam imperandi poteſtatem, & finalem, religionis ſc. &
politix conſervationem, de quibus ſingulatim & ordine agemus.

TH. 3. Cauſam efficientem quod initio attinet, primariam ſive
principalem merito in definitione adduximus, quam ſi defendere a-
nimus eſt, ante omnia abſtinendum eſſe puto à ſententiã illorum,
quorum cauſam agit *Bodinus libr. 2. c. 2. de republica,* ſtatuentium;
*Regna adeoq; Magiſtratum Tyrannidem admodum ſapere, potiusq; re-
dolere vim ac violentiam quã aliud quippiam. Celf. Manc. l. 4. de jure
princip. c. 9.* Quam ſuam ſententiam probare ſatagunt (1) ex prima
creatione, ubi Deus creatis primis parentibus, *Dominamini,* inquit,
animantibus terra, Gen. 1, 28. (2) Ex appellatione Nimrodi qui *po-
tens venator* dicitur *Gen. 10, 9.* quod aliàs familiariter Hebræis latro-
nem ſignificet vel aliis vim inferentem. *Vid. Bodin. l. c.* (3) A qua-
tuor Monarchiis. Nam prima Aſyriorum à Nimrodo non tantum
violenter cœpiſſe, dicitur; ſed & exitu violento per Darium & Cyrũ
deſiit. Hi cum ſecundam Perſarum erexiſſent poſt ſe tertiam ab Ale-
xandro ad Græcos delatam reliquerunt, quæ tertia eãdem ratione ar-
mis Romanorum ſuppreſſa quartum ſummum Imperium his tradidit,
quod cum pro ultimo habeatur, concludunt illi imperia & regna Ty-
rannicæ

~~gannica~~ oppressioni ac violentiæ natales suos debere, adeòq; etiam Magistratum constitutionem à Deo esse non posse.

TH. 4. Sed violentiam hanc non esse germanam Imperiorum ut ipsius etiam Magistratûs matrem non nisi protervè obloquentibus non potest ex iisdem Sacris literis constare, quæ toties Regnorum & Superiorum originem inculcant, quando Deum, tanquam summum Monarcham nobis ob oculos pingunt, à quo omnis potestas est, 1. Pet. 2. 13. quique eam instituit, Gen. 9. 6. ut cætera plura, quæ à Theologis peti possunt, testimonia, hîc omittamus.

TH. 5. Neque quidem hisce sacris testimoniis illius sententiæ Defensores convincere necesse est, cum ipsâ Naturâ ut causâ subordinatâ nobis viam muniente Magistratûs originem superiorumque & inferiorum coordinationē fatis intueri queamus: Hæc enim lege sua adeò sibi animalia devinxit, ut bruta etiâ sub regimine vivere velint. Hinc apes reges suos quos natura ipsis ad hoc effinxit venerantur: Grues sequuntur ducem, Grex arietem, quia *natura illis regem commenda est*, ut ait Seneca l. 1. de clement. c. 19. Cùm autem natura horum magistra nihil aliud sit, quam ipsius Dei Opt. M. ministra, quid aliud ex eo licet colligere, quàm causam efficientem Magistratûs esse Deum, qui illius impulsu (etiam inter homines) quosdam ad imperandum, quosdam ad parendum nasci voluit. Meritò igitur ordines imperantium & parentium ad Deum referimus.

TH. 6. Quod autem argumenta θ . tert. in contrarium allata attinet, quæ tyrannidi principatûs & rerum publicarum principia adscribebant, ad (1.) Respondeo; committi in illo fallaciam ignorantis Elenchi, quippe cùm in cit. c. 1. Gen. non instituaturs comparatio inter hominem & hominem; sed inter hominem & bruta, quorum dominium protoplastis Deus ibidem commisit. Quid autem obstat, quo minùs ille, qui dominiû habet in bruta, possit alii homini ad imperandum aptiori subjacere? Triplicem enim Deus homini concessit potestatem, Primam in bruta, de qua jam dictum, Secundam in se ipsam, ut appetitus ratione regat. Tertia in alium hominem, quæ ultima particularis est.

TH. 7. In secundo argumento committitur fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Si enim maximè conceditur Monarchiam à Nimrodo violenter fuisse institutam, non tamen simpliciter

placiter omne Regnum violenta habuisse principia ex eo potest inferri. Idem etiam respondetur ad tertium. Utique ante inundationem aquarum homines sine ulla regula politica vixisse haud verisimile est, cum tanta multitudinis hominum copia sine rectore vel ductore consistere non potuisset. Unde haud absurdè statuunt illi, qui Patriarchas familiarum suarum auctores, iisdem imperasse sentiunt. Idque haud obscurè innuitur, quando Cain civitatem condidisse dicitur, ex quo eundem aliis primò imperasse colligit *B. Augustinus lib. 15. de civit. Dei.* Hic autem nulla tyrannidis, nulla violenti principii mentio injicitur, quæ tamen aliàs ut nec cætera Caini peccata silentii involucris obtecta fuissent. Statigitur sententia, non tyrannidem sed Deum imperiorum veram causam efficientem esse: Ut enim aurum ita & imperium manet creatura Dei, tametsi unus vel alter id mediis parùm honestis sibi acquirat.

APHOR. III.

Subjectum s. materia Magistratûs dicitur persona publica. Hæc consideratur Physicè & Ethicè. Physicè consideratur ratione (1.) principii remoti, quod patria est, proximi, quod natales inferunt, iiq̄ue spectantur & ratione α . generis & ϵ . officii. (2.) Sexûs. Ethicè consideratur secundùm virtutes in esse debitas.

THES. I.

Prolatâ jam in apricum ipsius Magistratûs origine transeundum erit ad subjectum ipsum s. causam, ut vocant, materialem, quæ in nostra definitione dicitur persona publica, propterea quòd publicæ studere debeat utilitati, & salute Reipubl. nihil prius, nihil antiquius habere. *Quemadmodum enim Gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria; Sic moderatori Reipublicæ beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit. Cicero. Quod si quis cæteris præsit & studeat, ut regimen non in subditorum bonum, sed proprium vergat commodum, à re-
Etitudine imperii degenerans ad injustitiam declinat, vertit imperium in
aominium quod in bruta habet homo, ii verò qui subdantur imperio &
humana*

humana potestate, more pecudum ac brutorum ab imperante recti, dominium experiuntur nimis grave, molestaque opprimuntur tyrannide. Cels. Manc. l. 4. c. 9. Id quod bene intellexit Imperator Romanus Hadrianus, quando in senatu sæpe dixit; Se ita rempublicam gesturum, ut scirent populi rem esse, non propriam. *Valent. Forst. in Exord. Jurisd. Rom. n. 51.*

TH. 2. Publicæ hujus Personæ consideratio prima est, I. Physica, & venit in cognitionem (I.) ex principio quod remotum est & proximum. Remotum est ipsa Patria, scil. natale solum, circa quod in controversiam vocatur quæstio; An persona illa cui magistratus committitur, debeat esse indigena vel alienigena, & an huic etiam possit imperium committi? Contra peregrinos & alienigenas militat ipsa divini mandati auctoritas, quod è numero fratrum, non ex peregrinâ gente eligi Regemque constitui jubet. *Deuter. 17. v. 15.* Deinde multò magis facit ad Reipublicæ utilitatem, si indigena præficiatur imperio, quàm si peregrinus fasces teneat: Quocunque enim modo hic regiminis formam constituerit, propter incognitos tamen mores ingeniumque à subditis diversum benevolentiam eorum isti captare erit difficile, cum mores populi ignoret, siquidem, ut *Cic. de orat. inquit, Caput Reipublice regendæ, est perspectos habere civium mores.* Cui accedit quod quædam quasi *ἀντιπαθήσα* inter Principem peregrinum & populum seu subditos intercedere solet, ex qua crebræ dissensiones oriuntur, & dum populi extranei in præsidium adducuntur iisque honores conferuntur, bona augentur, plebis odium non possunt non in se concitare. Hinc *Scythæ ap. Curtium l. 7. ad Alexandrum M. Alienigenam, inquit, Dominum nemo lubens patitur, & placidius est suis parere.* Nec illud potest præteriri incommodum, quod dum extraneus princeps in suis terris commoratur, sua curare, & Reipublicam cui præfectus est, negligere videtur. Sic Carolo V. Imperatore in Hispania degente de absentia ejus conqueruntur status in comitiis Eslingensibus. *Vid. Sleid. de stat. rel. l. 1.* Hinc aliæ respublicæ Atheniensis, Carthaginensis & præpotens hodie Venetorum Respublica Magistratus suos tradiderunt Civibus *Patricius de Republ. Jun. p. 1. pol. q. 15.* quod longè faciliores & proniores sint concives ad obtemperandum, quàm si à peregrinis res peragatur. Quapropter in ipso Imperio Romano obtinuit, ne ad dignitatem summam imperatoriam

toriam evehatur extraneus princeps, quò Elector Moguntinus, quando illam Franciscus Gallorum Rex superiori seculo ambibat, respexit, dum Jurejurando se obstrictos asserit, ne decus imperii ad exteros transferatur. *Vid. Schradan. l. c.* Tandem & hoc peregrinis obstat, quòd haud boni ominis notam suppeditet principis peregrini evocatio, quippe cum in præjudicium cedat totius illius reipublicæ, cui extraneus Magistratus præfigitur, propterea quòd omnis sapientiæ & prudentiæ adminiculis destituta appareat, & tandem ad mentem *J. Lipsi* accedendum sit, docentis: *Ut in quam domum veniunt vespillones, signum funeris est; Sic reipublica labentis ad quam fulciendam adhibentur peregrini.* Exempla infelicis successus in electione peregrinorum vid. ap. *Bodin. de Republ. l. 6. c. 5.*

TH. 3. Altera sententia tuetur contrarium, neque suis planè destituitur rationibus. Acriter autem pro eâ pugnatur à *Machiavello l. 1. disp. c. 3.* contendente; civitatem in augustum statum pervenire non posse, si suis tantum contenta civibus extraneos nullos recipiat, idque probat exemplo Reipubl. Lacedæmoniorum, quæ Peloponnesum vix egressa dicitur, propterea, quòd ex instituto legislatoris *Lycurgi* omnibus peregrinis civitate interdictum erat, referente *Herod. l. 9.* Quod causam etiam præbuisse videtur Romanis, ut peregrinos non solum in civitatem reciperent; sed nec illos à participatione munerum & honorum publicorum excluderent. Hinc Numam Pompilium non modò non patricium, sed ne civem quidem Romanum autoribus patribus Romæ regnasse, memoriæ prodiderunt *Livius, Plutarchus, Florus & alii.* Lucius Tarquinius Priscus, Græci Demarathi filius, testibus iisdem rex Romæ factus est. Neque mutato imperii statu postea peregrinæ virtuti clausa fuit janua, unde Marcus Perperna natione Græcus consul Romanus factus est: Imò non pauci ex imperatoribus peregrini fuerunt, ut Nerva, Aurelius Victor, Trajanus, Severus, Maximinus & alii qui tamen laudabiliter fasces imperii gesserunt. Accedit major quam extraneus princeps peregrè secum affert autoritas, cum è contrario Princeps indigena si insuper constet de aliqua ejus infirmitate susque deque habeatur, imò ex præfractâ malitiâ tunc magis defectus quàm virtutes soleant enumerari. *Jun. p. 1. q. pol. 15.*

TH. 4. Sed si in utramq; partem argumenta ponderemus neu-

B

cri

tri parti in totum assentiri possumus, cum simpliciter omnem peregrinis vel receptionem negare, vel receptis bene merentibus promotionis spem præcidere nec utile nec æquum sit: E contrario peregrinos indigenis anteferre sit contra naturam. Dicimus igitur, Jus principatus & superioritatis indigenis primariò competere & in eos conferri quidem; Certo tamen respectu peregrinum indigenæ posse anteponi, præsertim si tanta Principe dignæ virtutis simulacra in hoc appareant, ut præ illo saluberrimè huic committi possit: Vel si inter se de Principatu æmuli contendant, quorum alterum admitti, propter dissidentem & divisum inter æquales applausum metu subsecuturi tumultus aut seditionis, periculosum sit: vel etiam fracta viribus & vacillans respublica extranei potentis evocatione possit vel fulciri vel restaurari, quo sine Moguntinus Elector externi potentiorisq; principis in electione Caroli V. constitutionem suadere videtur *ap. Sleid. l. cit.*

Th. 5. Sequitur jam principium magistratus quod dicebamus proximum ejusque locum tenent natales, qui sunt expendendi & ratione generis & officii. Genus quod attinet, verè quidem Poeta canit;

*Et genus & proavos & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra vuto. — — —*

Nescio tamen quæ fiat, quod illi, qui nobili aliqua profapia oriundi prodierunt, igniculos quosdam haud vulgaris virtutis & splendoris (nisi planè in patrios velint mingere cineres) mente foveant, eosque gestibus, vultu, sermone, factis haud obscure ostendant, quod *Plato* admirabili cuidam & occultæ qualitati propagandæ ac in stirpem derivandæ virtutis adscribit *in Menexeno*. Quæ cum ita sint, ad quæstionem quæ quæritur; an generis & familiæ in constitutione magistratus habenda ratio sit? Respondemus affirmativè, cum propter dictam rationem, quodque paternæ gloriæ filii hæredes esse soleant, *Cic. 1. de off.* Imò in administratione commissi imperii fidelitatem adhibendo, ad gloriam quam à parentibus acceperunt suam addere studeant; tum etiam, quod per nobilem & splendidam familiam splendor & majestas singularis reipublicæ ab iis concilietur, in quibus singularis virtus ac generis splendor elucet, teste *Arist. l. 3. Pol. c. 8.* Sic etiam tria illa quæ ad felicem & facilem reipubl. gubernationem faciunt, concurrunt, sc. sapientia ne erretur; potentia ut quæ decernuntur

nuntur in actum producantur, & familia, ut contemptus tollatur, ad-
sit autoritas. *Jun. q. 16. l. 2. ex Simanca l. 5. de Republ.*

TH. 6. Non tamen propterea omnis spes obscuro loco natis re-
secta esto: Cum enim non raro etiam contingat, heroum filios noxas
esse, ulterius non erit extendenda assertio nostra, quam se extendit
avita virtus, à qua cum discedant, præteriri ipsos & obscuro loco na-
tos iisdem præferri, in regno electivo, quæ mirum esse potest? Sic e-
nim melius est, eligere obscurum, à quo genus claritatis initium lau-
dabiliter sumat, quam elegisse magnam familiam prognatum, in quo illa
turpiter desinat, ut *Iphicrates respondet Harmodo apud Plurarchum*.
Varia enim exempla confirmant, non paucos de infima plebis fece-
oriundos ad gubernacula rerum euectos præclare se gessisse, quodque
multi ab ovili ad imperium, à rastro & ligone ad sceptrum geren-
da provocati sint. Neque id ipsum pro re indigna aut indecora ha-
beri debet, ad magistratum gerendum eligi plebejos & sordidi victus
homines: Quin potius istud; viros virtutum splendore præditos ne-
cessitate victos ad sordida detrudi, neque ex tenebris in quibus sor-
didè delitescunt in lucem protrahi, ut lux ipsorum luceat, pro summe
indecoro civitatis & reipublicæ est habendum. Si tamen eadem virtus
ex æquo insit tam nobili quam ignobili genere exorto, meritò antiqua
virtus herbescenti adhuc incertæ antefertur, ut ita etiam merita paren-
tum in liberos deriventur atque redundant.

TH. 7. Occurrit deinde perspecto genere natalium, ad enucle-
andum officii ratio, de qua quæstio est; an scil. illius sit habenda ra-
tio; ita ut quando in neutram partem certi quid est definitum, potio-
res partes in supplendo magistratus defectu sibi vendicet successio,
quæ filii parentibus in administratione officii publici scil. regiminis
succeedunt; an verò meliori lege principatum obtineat electio? Suc-
cessionem strenuè defendunt *Tholosanus de republ. l. 7. c. 4. Bodinus*
de republ. l. 6. c. 5. Casus in Sphæra civit. l. 3. c. 11. Idque variis ratio-
nibus. (1.) Quod hæc lege divina comprobetur, *Genes. 49. 10. Deut.*
17. 20. (2.) Propter diversas morum mutationes, qui certi esse non
possunt. (3.) Propter ἀναρχίαν in interregno, ubi respublica fluctuat
sine rectore, ut navis in medio mari sine navarcho, quod & cum se-
quentibus urget *Bodinus*. (4.) Quod regna suffragio delata nihil ha-
beant, quod non pateat omnibus omnium rapinis. (5.) Quod suffra-

giis creati animos attollere soleant. (6.) Si cuius pateat aditus, impudentissimus & ferocissimus quisque per fas & nefas dominatum ambiat: Si verò plures æquâ potestate & gratiâ valeant, populum in factiones distracturi sint. (7.) Rex cognito hærede majorem civitatis curam gerat.

TH. 8. Ab alterâ parte non infirmior stat argumentorum apparatus, probatq; præferendam esse electionem (1.) Quia reges, ut ait *Aristoteles 3. Pol. c. 11.* absolutè boni esse debent: Sed hæc virtutis perfectio certius per electionem quàm per successionem acquiritur. E. magis electio quàm successio est amplectenda. Probatur autem assumptum, quia ut §. 6. dictum jam est, à parentibus, eorumque virtutibus non rarò degenerant filii, & sic respublica malum acquireret regem: in tota verò republica & multitudine virum ad imperandum idoneum non invenire monstrum esset. *Arist. l. 2. Rhetor.* (2.) Libertas illa major est, si liceat ex omnibus optimum eligere, quàm ad unius familiæ servitutem redigi. Unde etiam hic mos electionis in imperio Romano servatur, de qua ita *Poeta Ligurinus*:

*Regibus est aliis potiundi jure paterno
Certa fides, sceptrumque patris novus accipit hæres:
Nos, quibus est melior libertas, jure vetusto
Orba suo quoties vacat inclyta Principe sedes
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.*

Plura argumenta transilio, quæ hinc inde apud politicos existant. Habet verò uterque regni capessendi modus sua tam commoda quàm incommoda, quæ rem in æquilibrio ita pendentem relinquunt, ut absolutè tutò neutri parti nos adjungere possimus. *Vid. D. Just. Einolt Schütze disp. 2. de jur. imperii t. 3. lit. C.* Si tamen sepositis iis, quæ accidentaliter sunt, id solùm spectemus, quod utrique per se inest, Electionem præponderare videbimus.

TH. 9. Quare & qui pro eâ pugnant, ad singula argumenta, quæ pro successione allata fuerunt, respondere solent. Nam (1.) non tam successio quàm electio fuit usitata, quod in electione Sauli & Davidis apparet: Successio autem lineæ regalis Davidicæ mysticum quiddam in recessu habuit, quod hoc tempore non obstringit: Verba autem hujus dicti quod concernit, illa non tam imperantis quàm promittentis esse, textus clarè ostendit. (2.) tantum removet electionem peregrinâ

grini non electionem simpliciter: Si tamen ille eligeretur, propter peregrinos mores non statim esset rejiciendus, cum non omnes peregrini mores sint mali, sed trans mare etiam inveniuntur homines, quorum mores ut videamus & imitemur, sæpè per faxa & ignes currimus. (3.) Ad *aviaxiã* incommoda præcavenda dico, novi principis electionem vivente adhuc priori institui posse, eoque consentiente, ut fit in electione Regis Romani. (4.) Videtur magis in successione obtinere, cum ibi minor sit potestas subditorum quam in electione, ubi certâ legum conditione præscriptâ Princeps recipitur, & sic magis est obstrictus subditis suis, ut bona eorum tam publica quàm privata defendat, quorum benevolentiam in renuntiatione Principis expertus est. (5.) Merum accidentale est neque perpetuum, cum maximos reges humili loco natos stirpis suæ meminisse traditum ab historicis sit, v. g. de Agathocle figuli filio, qui *vasis fictilibus* idè semper usus est, ut *paterne obscuritatis species repræsenteretur*. Justin. l. 12. Item Villegisus patre fabro plaustrorum natus, ab imperatore Ottone II. ad Archi-Episcopatum & Electoratum Moguntinensem elatus, omnibus in locis plaustrum rotam depingi curavit, cum hac inscriptione: *Villegisi quis sis quis fueris memento!* Quæ rota deinde Archi-Episcopo Moguntino pro insigni data, & ab Henrico secundo confirmata est, ut allegat *ex Bruscbio Jun. l. 2. qv. Pol. 16.* Ut alia jam prætereamus. Fallit igitur hæc ratio elencho accidentis. (6.) Ratio debilis est, quia non tantum ob hanc sed etiam quamcunque aliam ob causam in regno etiam successivo ejusmodi factiones excitari possunt, nec tamen illi propterea successionem abrogandam esse censent qui ipsam aliàs urgent. E. nec nos propterea electionem rejicimus. Sed si talia contingant, studendum, ut vel suffragiorum numero qui ibi obtinet, vel si aliter fieri nequit, sorte de principatu contendentes dirimantur. (7.) Solâ negatione diluitur; Non enim semper parentes filiorum curam habent, & quidem qui successores jam futuros sciunt, non opus habent, ut in administratione regni curam ponant, quod magis tamen faciet electus, cum ille laudabili imperio suo favorem liberis conciliare queat, ut regni spem liberis relinquat. Quoniam igitur hæc argumenta electionem non tollunt, nos quidem successionem ubi usu recepta est suo loco relinquimus; ubi tamen illa nondum introducta est, propter positas rationes electionem tutius atque magis consultò adhiberi, nisi circumstantiæ singulares contrariū suadeant, judicamus.



TH. 10. A principiis progredimur ad sexum, ubi ex Politicorum mente quaritur; cujus sexus homines & an foeminae etiam ad capessenda Imperii Sceptra admitti possint? In bivio iterum stamus, & cum in diversas sententias Politici descendant, utri parti nos adjungamus, dubium est. Alii enim planè Gynæocratiam rejiciunt, nec desunt tamen qui eam defendunt; Nos reipublicæ statum respiciendum esse putamus, in qua pro diversa consuetudine Magistratus vel electione vel successione constituuntur. Electio si locum habeat, fatendum est, ex naturali prærogativa foeminis viros anteponi, & sic mulieribus vix Imperium competere posse: Quod si successio obtinuerit, non occurrunt nostro quidem judicio ponderis alicujus rationes, quæ masculi hæredis defectu Imperium à foeminis tollere posse videantur. Contra mulieres qui sunt, (1) urgent diversam apud ipsum Deum virorum & mulierum æstimationem, *Lev. 27.* item quando Dei judicio miserum censetur regnū cujus sceptra moderatur foemina *Est. 3, 11* Hoc tamen nihil contra illas evincit, quia quod diversam à viris æstimationem attinet, immunitatis & privilegii loco illa potest haberi, quemadmodum illi qui in politiis ab oneribus publicis liberi sunt & exempti, non inferiores aliis; sed vel propter merita l. etiam alias causas hisce privilegiis donati honoratiores censentur. Posterius verò non tam intelligendum est de sexu quàm de metu muliebri, qui quidem propter debiliorem naturam hujus arguitur, & in viris residet, ut ex textu clarum est.

TH. 11. Deinde objiciunt honestatem impedire quò minus ad imperandum foeminae adhibeantur, quia & servum esset parere mulieri, & absurdum illam virilibus se ingerere negotiis. Sed neque hoc telum ferit mulieres, siquidem ad primum dico; verum hoc esse in statu domestico, non tamen sequi quod propterea idem sit in statu Politico, quia domesticum Imperium cum publico nihil commune habet, ideòque Fabio Máximo cunctatori dicto dedecori non fuit, quod cum equo vectus ad filium Consulem accederet, jussus descendere, se ab equo demiserit, cum tamen patriâ potestate indictâ causa occidere potuisset, annuente *Rodino l. 6. c. 5.* Ad secundum dico cum *Tholosano l. 7. c. 11. §. 277.* Si non habitum sit honestum foeminas prodire in publicum aut publicis muneribus se immiscere, has constitutiones ex more utentium receptas esse non tamen ubique, quare etiam

etiam ex solo jure civili quorundam non jus gentium vel naturale
constituendum est. *Vid. Corn. Nepos, in præfat. ad vitas Grac. Im-
perat.*

TH. 12. Non igitur obstare possunt Imperio muliebri in genere
sumto speciales specialium Imperiorum constitutiones aut leges
fundamentales, qualis in Galliæ regno est lex Salica quâ fœminas à
participatione regni excludunt, quando nolunt in colum transire
lanceam, pro se allegantes dictum Christi: Considerate lilia quo-
modò crescunt, non laborant neque NENT. Id quod tempore
Philippi Valesii ita explicatum ajunt: Lilia Galliæ non deberi nisi
Nobilibus, siquidem illi non laborant, neque fœminis, quia hæ-
NENT. Ut enim de legislatione nihil dicam, explicatio ingeniosa
quamvis sit, quomodo tamen quadret quilibet videt.

TH. 13. Neque (3) sexui hoc nocet, quod perhibeantur mol-
les & ad res arduas gerendas ineptæ, quod in iis neque prudentia,
neque consilium, neque constantia, neque fortitudo insint, quia
hæc non sunt universalis. Sicuti igitur concludere non licet; vi-
ri multi imò plurimi sunt vitiosi, tyranni, feroces, crudeles. E. vi-
ri planè ab administratione reipublicæ sunt removendi: Ita etiam
propterea non licet mulieres ab Imperio arcere, quòd pluri-
mæ inter illas molles effrenes & libidinosæ sint, ideòque ad res
graviores ineptæ: Eo ipso enim quo à rebus gravioribus arcen-
tur, non aliis quàm vilibus rebus & rei domesticæ asvescere pos-
sunt, ut sic in plurimis ingenii & naturæ bonitas opprimatur & syl-
vescat, quod tamen propter excitatam animi alacritatem vege-
tamque virtutem in multis fieri non potuit: Hinc nobis historiæ
opponunt Sabas insigni sapientiâ præditas; Cornelias multiplici
rerum cognitione claras; Artemisias rarâ fortitudine præstantes;
Susannas mirâ vitæ castimoniâ celebres, Amazones bellicosas,
hinc inde scriptorum libris egregiè collaudatas, quorum etiam vir-
tutem postliminò quasi resumisse videtur, puella illa Johanna
inopis pastoris filia, quæ habitu virili induta equo insidens exerci-
tui Caroli VII. Gallorum Regis Dux præfuit, multaque præclara
facinora edidit, civitates ex hostium manibus eripuit, nihilque
non fecit, quod ad veri ducis bellici personam requiri visum est,
sicuti

ficti ab hoc maximè eam commendat *Tholosanus l. 7. de Republ.*
c. 11. n. 63.

TH. 14. Sed, inquiunt, (4.) Eva Adamum decepit, Thamar ut meretrix in bivio sedens ad concubitum Judam allexit, Samson à muliere Delila circumventus est, Salomon ab iisdem ad idololatriam abductus, E. Videntur quidem hæc speciosa, sed pro nobis sunt. Ut enim nihil dicam hos seductos ipsi seductioni suffragatos esse, cui fuisset resistendum, apparet ex his muliebris ingenii acumen, quo cum ipsorum virorum fortitudinem debellare potuerint eorumque sapientiam eludere, quid futurum putamus si hæc ingenia eodem modo ad bonum convertantur?

TH. 15. Affert insuper (5.) *Bodinus l. c.* sequens dilemma; Fœmina aut connubio jungetur, aut per se ipsa imperabit: Si nupserit, eâ tamè lege fiet, ut penes illâ sint majestatis & imperii jura, non autem penes maritum: Sic verò maritus, qui lege naturæ caput est familiæ, ac domesticum imperium habet, muliebribus imperiis publicè servire cogetur: Si verò regina nuptias recusârit, Rempublicam in summo discrimine versari necesse est, cum muliebri imperium sit contumeliosum, neque à subditis diu tolerari queat, quin vel fœminea libido vel impotentia irrideatur. Verùm primam partem quod concernit, absurdam illam non esse constat ex iis quæ circa argumentum secundum diximus, ipso fatente Bodino, quod domesticum imperium cum publico nihil commune habeat. Quando igitur maritus qui domesticum tenet imperium, imperiis muliebribus obedit, (servitus enim appellari propriè non potest) non fit illud quatenus vel mulier aut uxor est, sed quatenus legitimâ imperandi potestate fruitur. Quemadmodùm autem duorum amicorum aulicorum, quorum alter legationis vel alio officii honore afficitur, alter ab illo mandata accipit ejusque voluntati obsequium præbere cogitur, quod juri amicitia videbatur esse contrarium, nihilominus tamen rectè & decorè fit; ita & hîc statuum distinctio laudabilis nulli indecoro obnoxia esse potest. Alterum quod cornu attinet, neque illud nos feriet, siquidem id ipsum applicari potest tantùm ad illa imperia muliebria, quæ vel fœmineâ levitate, vel turpitudine morum aut vitæ sine rectâ reipublicæ guber-

gubernatione in odium vocatur: Quæ verò si absint, & laudabilis fiat imperii administratio, tantùm abest, ut sarcastico aliquo risu hæc Moderatrices irrideat populus, ut potius ex merito raræ virtutis corda subditorum fascinent inque suum amorem pertrahant. Quòd si præter spem imperium muliebri aliquâ labe vitium concipiat, (sicuti in multis labimur omnes) neque ex omni parte æquabili bonitate temperetur, puto potius veniam meritoras fœminas à populo propter commune imbecilli sexûs nomen, quàm si corrupta maris persona fasces teneat, virilemque suam, quâ anteire debebat fœminas, virtutem, libidine, intemperantiâ, incuriâ, moribusque totius vitæ dissolutis amissam, subditis deplorandam relinquat.

TH. 16. Absolutis jam iis quæ ad Magistratûs personam physicè consideratam pertinere visa sunt, restat hîc ut (II.) Ethicè quoad tenus etiam eam describamus. Ut igitur princeps aliquis dicatur laudabiliter constitutus multarum virtutum apparatus requiritur. Quò verò hîc de pietate, (de quâ in officio dicitur, seu causâ finali) nihil dicam, sicuti aliàs; ita & in Principe principem locum (I.) obtinet Justitia, quia *is qui dominatur habet vim Dei*, ut ait *Artemidorus*, diciturque hæc *finis & principatus & administrationis politicae*. *Reinking. de Reg. sec. 1. 2. cl. 1. c. 1. n. 45.* Hæc autem in eo potissimùm consistit, ut suum unicuique tribuatur, h. e. delinquentium delictis æquales poenæ statuantur, benemerentibus præmia. Quod si fiat, erubescunt omninò subditi non obtemperare, propter virtutis, quâ obumbratur Princeps, Majestatem: Si verò hoc negligatur, omnis reverentia & pudor mentibus subditorum excutitur metu tyrannidis, & *dum metuunt oderunt: Quem autem quisque odit eum perisse expetit*, ut ex *Ennio Cicero* habet. Quamquam enim mens vulgi iniqua est, iniquum tamē Magistratum pati non potest, & quidem propterea, quod si leges patiatur hebescere, civium commoda non defendere sed divellere videatur.

TH. 17. Requiritur (2.) maximè clementia, ut princeps gladium vindictæ acuat oleo gratiæ. Sic enim facit princeps, ut cum severus metuatur à multis, clemens ab omnibus timeatur. Nihil enim est tam ferum & immane inter mortales, quod clementiæ pos-

C

sit re-

fit resistere. Testantur id non solum homines, qui beneficiis capi-
untur ut hamo pisces; sed confirmant idem tigres & leones, qui vi-
non possunt & severitate, mansuetudine facile possunt cicures red-
di. *Hac tamen virtus ita comparata esse debet, ut cum delinquenti-
bus parcit, non officiat bonis viris, sed eo fine, ut ex improbis miseren-
do bonos viros reddere, quam improbos puniendo perdere malit.* Vid.
Henr. Farnes. de Sim. Mag. l. 2. pan. 4. c. 2.

TH. 18. (3.) Maximè principem commendat probitas; De-
corum enim est ut probitate emineat qui dignitate. Hinc *Cyrus apud
Xenophontem in Cyriæ dia* non censebat unquam convenire impe-
rium, qui non melior esset iis quibus imperaret, non ignorans ta-
les effici subditos quales sunt principum mores. Ideoq; princeps
quando improbitatis alicujus reus fit, ut illa populo exponatur,
magis in ipsius personâ tanquam in clarissima luce versante obser-
vatur, non aliter quàm in limpidissimo speculo minima labes sum-
mo dedecori est, quia non culpâ solum, sed & exemplo ab his per-
sonis peccatur.

TH. 19. Sequitur (4.) Prudentia. Hæc in Principe etiam tan-
quam propria ipsius maximè desideratur. Dicitur enim Magistra-
tus oculus reipublicæ, à quo ceu totum corpus illuminatur; Opor-
tet igitur ut cœcutiente oculo in obscuro vivat corpus, ut ex eo sæ-
pe numero impingat ruinamque minitetur, undè rectè *Aristoteles
non bene vivere, ait, subditos, qui stultis magistratibus utantur, l. 3.
pol. c. 3.* Beatam autem è contrario Plato dicit hanc Rempubli-
cam, in quâ Princeps tantum præstat aliis prudentiâ, quantum illis
antecedit honore, *Henr. Farn. l. 1. c. 12.* Potest autem hæc pruden-
tia comparari doctrinâ & usu. *Per doctrinam enim non modo pul-
chrior comptiorq; fit virtus; sed fortior: Nec colorem modò ab illa
ducit; sed sanguinem & robur.* *Lips. cent. 1. ep. sel. 16.* Fortior fit
virtus eruditione, quia homo se ipsum vincere discit, ut imperium
rationi; cupiditatibus obsequium committat, quod fieri meritò o-
portet; cum cõtra jus sit, eum aliis imperare, qui cogitur voluptati-
bus & libidini nefariis flagitiorum imperatricibus parere. Et ut
verborum in recensendis virtutibus compendium faciam, conclu-
do iterum sæpè laudati *Henr. Farnesii* verbis l. 2. c. 1. *Magistratus sit
quasi*

quasi lex viva, quæ neq; irascatur neq; stomachetur, cujus mansuetudo ne nihil rigidius; nihil rigore clementius, nec potentiâ gratius, neq; vindictâ tolerabilius: quæcumq; quis animum inducat, semper alius sit in alia virtute: verus in sermone, tutus in iudicio, prudens in consiliis: in rerum discrimine fidelis: constans in periculis: Pius cum abjectis, severus cum renitentibus, tot deniq; concretus ex virtutibus, ut lædi minimè possit sine virtutum omnium vulnere.

APHOR. IV.

Causa formalis Magistratûs consistit in armata imperandi potestate, cujus finis est religionis & politiæ conservatio.

THES. I.

Quemadmodum aliàs forma duplex est essentialis & accidentalis; ita & in Magistratu utraque occurrit. Nos de accidentali, quatenus illa est vel Monarchica, vel Aristocratica, vel Democratica, jam non erimus solliciti, quippe cum hæc non admodum faciant ad naturam Magistratûs cognoscendam: Sed ex nostra definitione essentialem deducimus, quæ est armata imperandi potestas, & ita naturalis Magistratui, ut sine illo ne cogitari quidem vel concipi nedum poni aut dari possit. Cognoscitur autem potissimum ex suis effectibus sc. ipso imperandi actu, legum positionibus, omnibusque illis quæ ad politicum imperii exercitium inserviunt, & penes quem ista imperandi potestas reperitur, ille nomine Magistratus erit dicendus.

THES. 2.

Ipsa tamen potestas quæ vel absolutè summa est, & Majestas propriè sic dicta appellatur, vel respectivè summa est, vel etiam executivè tantum in officialibus superioris Magistratûs reperitur, diversas etiam deinde magistratûs divisiones infert; salvâ tamen manente eadem potestatis naturâ & essentiâ. Dicitur verò hæc potestas armata, ut tum à potestate ecclesiastica, tum etiam patriâ, herili & conjugali distinguatur, tum etiam, ut dignitas atque splendor

ipsius tantò clarior appareat. Eleganter eam ut & originem usum-
que potestatis hujus pulchro quodam hieroglyphico veteres Eth-
nici adumbrârunt, quando Jovem medium inter Themis & Cra-
tos splendenti folio sedentem depinxerunt, cujus jussu aquila sce-
ptrum, Cratos coronam auream, Themis enseni principi largieba-
tur, ad indicandum; Summam esse hujus potestatis Majestatem,
ipsius Dei gratiâ communicatam ad regendum & imperandum, ut
ipsa undique justitia in terris floreat.

THES. 3.

EX quò infertur; non abutendum esse hac potestate, quippe cùm
data sit imperantibus, ut subditi regantur, non ut vexentur aut
malè habeantur. Quod si tamen vel maximè contingat; Principem
justo titulo regnum possidentem in tyrannum degenerare, omniq;
onerum jugo subditorum humeros onerare, parendum nihilomi-
nus ejus potestati Dei vicariæ est, & cum privato etiam incommo-
do, modò divinis legibus vis non inferatur, voluntati ejus omninò
satisfaciendum. Quod si verò hoc contingat, magis Deo quàm ho-
minibus obediendum esse scriptura jubet, cùm aliàs ipse finis ma-
gistratus oblivione sepeliatur.

THES. 4.

Est autem finis ille juxta definitionem nostram religionis & po-
litix conservatio. Illa feliciter cedere non poterit, nisi ipse Ma-
gistratus devoto pietatis cultu Deum veneretur; siquidem populus
pietatis curam omnem prætermittet, nisi Princeps instar splendidae
lampadis vitæ suæ exemplo illi præluceat, ut quasi in splendidissi-
mo speculo ex ipsius vultu divini cultûs cura refulgeat, in quo po-
pulus quid sibi desit contemplari possit. Hoc si fiat, maximus ipsi
Majestati fulgor conciliatur: E contrario verò, quomodo Princeps
reverentiam à subditis suis exigere poterit, qui suo superiori, à quo
dependet, debiti honoris & pietatis cultum deferre detrectat? Vi-
dentes hoc ipsi saniores Ethnici, τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμελίαν πρῶτον
in Magistratu esse jubet, *Plato de Republ. & Arist. 7. polit. c 8* Hinc
& Romanorū summa & prima religionis fuit consultatio, prima
senatûs cura, propterea, quod omne imperii fundamentū omne
stabilimentū in religionis constitutione cōsistat, *Vide Polit. Reimb.*

Röe.

Rönigs, p. 2. c. 9. §. 3. Vocatur aliàs hæc cura potestas regia circa ecclesiasticam; item potestas ecclesiastica externa. Dicitur autem externa, quia interna Principi laico non competit, ut est, solvere, ligare, sacramenta administrare &c. Sed ab ecclesiasticis in Ecclesia usurpatur, & his propria est; externa verò consistit in veræ religionis mediis ordinandis, promovendis, verbi divini dogmatibus illibatis civiliter propugnandis, defendendis, conservandis, quod à superioribus potestatibus conciliorum & colloquiorum coactione; ab inferioribus disciplina & ordinis ecclesiastici decorâ conservatione, instauratione, Doctorum orthodoxorum patrocinio, heterodoxorum remotione commodè fieri potest & debet.

THESES. 5.

Alteram finis partem sibi sumit officium Magistratûs politicum, quod publicæ utilitatis atque salutis curâ absolvitur, idque indicat Lex XII. tab. quando salutem populi supremam legem appellat. Hinc aliàs Magistratus verû exemplar communis salutis & vitæ, imò communis omnium parentis audit, ut quemadmodum parens indefessâ liberorum curâ assiduè defatigatur, eorumque salutem propriam vitam & omne commodum postponit: ita etiam Magistratus omni tempore nihil intermittat, quod ad salutem & incrementum subditorum facere posse videtur. Id scilicet indigitârunt Ægyptii, quando Regem Elephanti simulacro effinxerunt: sicuti enim Elephas præter cætera animalia solers & diligens neque dormiens recumbit, nec quicquam tam vile & abjectum in toto ipsius corpore est, quod non plurimum remedii & medicinæ salutaris apportet: ita etiam Principi vix contingit in utramvis aurem dormire, quem oportet pro salute populi excubare: nec quicquam in toto Principe est, quod subditorum salutem non inservire debeat. Adeò verum est quod ex *Theatro morali* citat *Wankelius in Not. ad Horol. Princ. Guevara: Imperium & mare sunt res aspectu jucunda quidem, sed gustatu acerbæ ac periculose.* Fasces enim sunt fasces, & qui veri atque virtuosus Magistratûs nomen tueri cupit, nunquam non inveniet, quod ad communem utilitatis massam apponat.

THESES. 6.

Hæc ea sunt quæ circa generalem magistratûs naturam breviter pinguique Minervâ in chartam conjicere placuit, divisionem

ipſius & ſpecies, ſummum & ſubordinatum, perpetuum & ambulatorium, ordinarium & extraordinarium, ſagatum & togatum & quæ præterea ſpecies ejus eſſe poſſunt, cæterasque controverſias complures propter materiæ dignitatem & amplitudinem alii temporî reſervamus. Hæc in præſentiarum delibâſſe ſufficiat, quæ Benevolus & Æquus Lector ut æquâ mente legat & benevolè judicet, eſt quod maximè rogamus.

DEO SUMMO MONARCHÆ
G L O R I A.

ΕΠΙΣΤΑΓΜΑΤΑ.

I.

Tantum proprium quarti modi verè eſt proprium.

II.

Datur Generatio æquivoca.

III.

Ephialtes non eſt Somnium. Definitur enim ſomnium, quod ſit viſum à motu ſenſuum internorum & relictarum in ſenſibus ſpecierum, obortum in dormiente animali quatenus dormit. Ephialtes verò eſt morbus, quo correpti ſe aliquo magno pondere opprimi vel ſuffocari inter dormiendum imaginantur. Hinc diu ſepe luctantur & quaſi agonizant, quando ſuſpiriis gemitibusque exprimendis anxie torquentur, nec tamen excitare ſe poſſunt, propter halitus fuliginoſos, qui ex pravorum humorum colluvie ſpirituum vias clauserunt, pectorisq; muſculos, dorſum & tendones ſimul occupârunt. Vid. Scaligerum Exercit, 312.

IV.

Mirabile eſt, quod idem Scaliger l. c. affert de Franciſci Gonzagæ Mantuæ Principis Affine, qui conjurationis ſuſpectus cum in turri portæ Cæſaræ ad quaſtionem & ſupplicium ſervaretur, totus repente canus factus eſt.

V.

Virtus non conſiſtit in medio quoad rem.

AD PRÆSTANTISSIMUM DOMINUM
RESPONDENTEM.

REbus in excelsis, quærit mens ardua laudes,
Deumque sedulo æmulatur gloriam:
Mens Tua celsa patet, SPECHTI, dum scepra Deorum
Terras regentium revolvit ardua.
Concilies Tibi scepra Deosque sequentibus annis
Splendentibus ut epulis liceat accumbere.

*Gratulatus de hoc specimine
per seribebat*

M. David Schwertner, Ethices Prof: Publ. p. t.
Pro Cancellarius & Academiae Rector.

Nosse Magistratum sat res est ardua, & illum
in cathedrâ multum sistere laudis habet.
Hoc praeestas, SPECHTI; quo quæso dignus honore?
asseris, ingenium quid modo ferre potest.
Gratulor ac opto Tibi, quò majora sequantur,
atq; tuum nomen Gloria tollat humo.

M. Johan. Preibisius, Facult. Phil. Assessor, Collegii
B. Mariae V. Praepositus, & Reip. Lips. Senator.

Ad Politissimum Dominum Respondentem.

ESt ita. Regentes sunt & illos commodè,
SPECHTI, modestis commodas conatibus,
Quos ipse nobis Ille summus Arbiter,
Et Arbiter Ter Optimus jam commodat,
Jam rursus in suam reducit patriam.
Sit ita. Regentes sint & illi commodi.

M. Valentinus Alberti, Sil. Colleg,
B. Virg. M. Collegiatus,

Egregium profers Specimen, mentemque polire
Studes politices artibus.
Pergas, haud frustra facies, sed (crede)
sequentur
Labore digna præmia.

*Fausta acclamationis ergò Dn. contubernali
& concivi suo in amicitia pignus
hæc pauca apposuit*

Johannes-Gottlieb Cunradi,
Sorâ-Luf. LL. Stud.

Dum sua vota ferunt Favitores, optime SPECHTI,
Munus ob inceptum. Meritò taxanda veniret
Musa mea, egregio si vota negaret Amico.
Quare sit felix susceptum munus id opto,
Atque brevi referant ausis sua præmia Divi.

Ita integerrimo suo accinere voluit,
debuitque

ABRAHAMUS CLOSIUS
Sprottâ Silesius.


F I N I S.

X2615901

VD 77







924

Σὺν τῷ Θεῷ αὐτουργῷ
EXERCITATIONEM PHILOSOPHICAM

1656,1

DE
**MAGISTRATU
POLITICO**

Benevolo Inclyti Senatus
Philosophici indultu

PRÆSIDE

M. CONRADO von der Lage/

Jev. Frif. SS. Theol. Studios.

Publicâ Eruditorum discuf-

sione ventilandam in Illustri Academia

L I P S I E N S I

P. P.

CHRISTOPHORUS Specht/Sprott. Sil.

L. L. Studios.

Ad Calendas Novembris

▲ N N O M DC LVI.

H. L. 2. C.

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS WITTIGAUENS.